

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**D. Lavrentii Heisteri Profess. Pvbl. Helmstadiensis  
Academ. Caesar. Regiae Lodin. Ac Berolin. Collegae  
Compendivm Anatomicvm Totam Rem Anatomicam  
Brevissime Complectens**

Cvm Figvris Aeneis

**Heister, Lorenz**

**Norimbergae, MDCCXXXII.**

**VD18 90513142**

De Externis Corporis Hvmani Appellationibvs Ac Divisione.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9909**

is liquoribus iniiciendis inserviat. *Tubulus* vero singularis ferreus, pro argento vivo in vasa imittendo, quoque necessarius est. Denique *spongia* pro effusis humoribus absorbendis, sordibusque detergendis; *cos olearis* & singulare *corium* pro cultris acuendis; *terebræ*, variæ magnitudinis, aliave instrumenta, ad ossa perforanda; *filæ aeneæ*, *tenaculaque* pro sceletis conficiendo sive exstruendo, requiruntur. Vltimo *antlia pneumatica*, in replendis vasis, aliisque usibus, pulchre inservire potest. Imo in ipsa sectione Anatomicus *præcinctorio* & *manicis*, ad sordes a vestibus avertendas, carere nequit: sic & *olla*, *patina*, aliaque utensilia, pro Anatomici genio, commoditate & curiositate, varia sæpe necessaria sunt.

## DE EXTERNIS CORPORIS HUMANI APPELLATIONIBVS AC DIVISIONE.

17. His descriptis, antequam ad ipsas cor-<sup>externæ</sup>poris<sup>corporis</sup> humani partes examinandas pergamus, <sup>appellatio-</sup>utile esse duximus, primum *de externis corporis* <sup>nes.</sup>*humanis appellationibus agere*: ubi autem non communissimas & omnibus e vulgo notas; nec eas, quæ in speciali partium peruestigatione, ut in oculo, naso, aure &c. indicandæ atque explicandæ occurrunt; sed tantum difficiliores, & non omnibus cognitæ, hic enarrabimus; de reliquis suo loco.

18. *Dividitur* vulgo ab anatomicis *corpus hu-* <sup>divisio.</sup>*manum* in truncum & artus, sive extremitates. *Truncus* constat *ex capite, collo, thorace & abdomine*; artus vero sunt vel superiores vel inferiores;

res : illi, *brachia* sive *manus* ; hi *pedes* vocantur.

19. In *Capite* notanda primo, pars capillata, & non capillata, *facies*, dicta : deinde *sinciput*, *occiput*, *tempora*, *vertex*, *bucca*, *mala*, *philtrum* seu *lacuna* ; reliquæ omnibus notæ. In *collo* iugulum, pomum Adami, *cervix*. In *thorace* præcordia, a) dorfum. In *abdomine*, scrobiculus cordis, regio epigastrica, hypogastrica et umbilicalis, hypochondria, regio iliaca, lumbi, inguina, pubes, perinæum, regio ischiatica.

20. In *artubus superioribus* ; humerus, axilla sive ala, brachium, cubitus, carpus, metacarpus, vola & dorfum manus, digiti. In *inferioribus* ; femur, genu, crus sive tibia, malleoli, tarsus, metatarsus, planta, & digiti.

## DE PARTIBVS SIMPLICIORIBVS.

21. Possemus quidem iam ordine ad *tegumenta corporis communia*, & inde ad interiores partes, progredi ; verum quia tyrones partes compositas melius intelligent, si prius *simpliorum* ideam habent : hinc hoc loco de his primum acturi sumus.

### 22. Omnes

a) quid per *præcordia* recte intelligatur, inter auctores non convenit. vid. *Fabri Lexicon*. Mihi denotat anteriorem Thoracis regionem ; partim vi vocis, quasi diceret, partes præ corde sive ante cor : partim ex *Celsi* præfat. pag. 11, ubi ait, crudele, vivorum hominum alvum atque *præcordia* incidi, aliisque eius locis plurimis ; itemque ex *Virgil.* 2. *Aeneid.* - - *redit in præcordia virtus* : ubi ab utroque pro thorace sumitur.